



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

Capvt XV. De ordine in restitutione seruando, deque loco & expensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

tingit, poterit ratione huius obsequij aliquid exigere & accipere.

Resp. Sotus supra, ob hoc argumentum concedit posse sic aliquid accipi. Sed communis sententia est in contrarium. Ratio est; quia quando opus vel omisso secundum se est inuendibile, etiam est inuendibile obsequium, quod fit in tui gratiam, alioquin usufructarius posset aliquid exigere, quod in tui gratiam det mutuum alteri; & collator beneficij, quod tua causa huic conferat; & Iudex, quod tua causa iustam sententiam ferat.

68 *im obsequium, quando opus est absolute am, non censetur dignum pretio apud homines, sed ut summum amicitia. Si quid tamen ex liberalitate ob hanc causam esset datum, posset retineri; quia non censetur donatum inuito, neque ob causam, quæ sit nullius pretij, sed sponte & ex causa virtutis. unde promissio facta sub tali conditione, non magis obligat, quam promissio liberalis absoluta.*

Dices, Miles ex iustitia tenetur militare, & tamen potest exigere stipendium; ergo pro opere debito ex iustitia potest pretium exigi.

Resp. Miles non tenetur ex iustitia, nisi ei iam constitutum sit stipendium. præter hoc autem non potest amplius exigere. Idem dicendum de Iudice, aliisque officiis, quæ non sunt debita ex iustitia, nisi post contractum, quo illis stipendium iustum est promissum.

*Debitum ex charitate proximo.* Dico Secundò, Si opus debitum sit proximo ex charitate, non potest pro eo pretium exigi, nisi fortè sit laboriosum, vel sumptuosum. Ita Couarr.

Medina supra. Probatur Primò, quia communium iudicio hæc non sunt pretio æstimabilia. Secundò, quia cum valde inter sit proximi, ut hæc fiant; si quid pro eo det, censetur coactè datum, (non gratis) pro re nullius pretij. Sic nihil potes exigere, ut ex animo deponas odium mei, vel ut mihi indices furem, qui res meas surripuit, vel locum ubi deposuit; si id sine labore, sumptu, periculo facere possis, ut rectè Couarr. supra. Denique ut in extrema necessitate des tenuem eleemosynam pauperi.

70 Dico Tertio, Quando aliquid datum est pro

opere vel omissione, quæ solum cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, non necessarium est restituendum: sed potest retineri. Ita Petrus Nauarr. lib.4.c.2.num.100. & ex parte Sotus supra. Ratio est; quia tunc censetur esse liberaliter donatum ex causa, vel sub conditione: nemo enim ab alio emit actiones vel omissiones liberas, illi soli commodas vel Deo honorificas, ad quas tenetur; sed si quid pro illis offerat vel det, censetur datum in bonum illius, vel ad honorem Dei, merè liberaliter.

Hinc sequitur, Eum, qui aliquid accepit ab altero, ut fieret Christianus, ut confiteretur in Paschate, ut non fornicaretur, non blasphemaret, posse retinere; nec teneri restituere, nisi repetatur in iudicio. Nec obstat L. 2. 7. de conditione ob turpem causam, ubi dicitur; *Si tibi dedit ne sacrilegium faceres, condici posse*, id est, repeti: quia solum conceditur repetitio in iudicio, idque quando datum est, ne crimen fieret, quod legibus punitur; hinc tamen non sequitur, ante sententiam esse restituendum. Puto tamen id, quod pro huiusmodi causa promissum fuerit, impleta causa, non esse debitum nisi ex virtute fidei; sicut si absque huiusmodi conditione promissum esset. Ratio est; quia reuera hæc opera non sunt pretio æstimabilia; sicut nec alia supradicta: sed discrimen inter hæc opera & illa est, quod datum pro his non censeatur extortum ab inuito, sed liberaliter donatum; eò quod is qui dat, nulla necessitate compellatur, secus de dato pro illis, quæ ex iustitia vel charitate proximo sunt debita.

Aduertendum tamen est, Quando constat vel prudenter præsumitur aliquid datum per modum muneris liberalis, ad inclinandum eum, qui accipit, ad bonum opus ex iustitia vel charitate debitum, vel ad eum à malo auertendum; non esse restituendum, nisi lex positua in aliquo casu expressè inhabilem reddat ad dominium eius rei capessendum, sicut videntur fecisse Iudices L. Plebiscito. 18. 7. de officio Præsidis, & L. Solent. 8. finali. 7. de officio Proconsulis. de quo plura infra suo loco. vide Siluestrum v. Iudex 1. q. 8.

*Debitum dumtaxat in bonum operantis, vel in honorem Dei.*

71

72 *Si puretur datum liberaliter.*

## CAPVT DECIMVM QVINTVM.

De ordine in restitutione seruando, de que loco & expensis.

Complectitur Dubitationes 8.

**N**OTANDVM est, quando bona debitoris, in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, non esse opus vlllo ordine: nam omnibus integrè est satisfaciendum: sed tum demum certus ordo seruandus est, quando non sufficiunt.

### DVBITATIO I.

*Utrum debita certa sint prius soluenda quam incerta.*

**S**Vppono, Debitum variis modis dici incertum. Primò, si non satis constat, vtrum debeas, necne: & tunc non est necessaria restitutio; quia

mellor est conditio possidentis. Secundò, Si constat quidem rem deberi, sed dubitas cui ex duobus vel tribus debeat. Hoc euentu, si dubium est æquale, res æqualiter est inter eos diuidenda, vel ex illorum consensu sorte applicanda: sic enim seruatur iustitia. quod si postea constiterit, vter sit verus creditor, alter tenetur ei restituere suam partem, nisi eam legitime vsuceperit. si noluerit restituere, tu tamen liber manes; quia restituiisti eo modo, quo potuisti & debuisti; nec in eo incerto amplius à te potuit exigi. Si dubium non fuit æquale, ei debetur maior pars, de quo minus est dubium; alteri verò minor, iudicio prudentis. vide supra cap. 14. dub. 4.

Tertio, Dicitur incertum debitum, quando constat

*Debitum incertum tripliciter.*

constat quidem deberi; sed nescitur cui vel quibus ex tota multitudine: siue res ipsa in specie sua sit aliena, (vt equus, vestis, torquis, & familia) siue tantum sit debita confusa; vt quando loco rei perempta debetur pecunia. His positis,

3 *Si aliena in specie.*  
Dico Primò, Si res incertam habens dominum, in specie sua est aliena, primo loco est restituenda, non certis creditoribus, sed iis, quibus incerta restitui solent; iuxta ea quae cap. 14. dub. 6. & 7. dicta sunt: quamuis nihil aliud super sit, quod certis creditoribus dari possit. Est communis DD. Ratio est; quia creditoribus debet satisfieri ex bonis debitoris, non ex alienis. Itaque hac ante omnia sunt segreganda à bonis debitoris; & in pios vsus eroganda.

4 *Si non sine aliena in specie.*  
Dico Secundò, Si res ipsa non sunt in sua specie aliena; tunc ex eis prius facienda est restitutio certorum debitorum, quam incertorum. Est communis DD. Antonini 2. p. tit. 2. c. 3. in principio, Caier. v. Restit. c. 8. Silu. Restit. 6. qu. 5. Medina C. de restit. q. 2. §. Ad aliud, quod quinto loco, & Nauarri cap. 17. num. 47. & aliorum.

Sed difficultas est; quanam sit huius ratio. DD. qui censent incerta iure naturae pauperibus esse danda, valde laborant in assignanda ratione, nec quidquam afferunt quod omnino satisfaciatur. Sed iuxta sententiam, quam supra cap. 14. dub. 6. & 7. secuti sumus, non est difficile. Ratio igitur,

5 *Cur certis creditoribus prius soluendum.*  
cur certis creditoribus prius sit soluendum quam incertis, est; quia iure naturae tenetur debitor ex iustitia soluere creditoribus certis, etiam si nulla lex positua id iuberet; idque de bonis suis, quorum dominium habet. Non tamen iure naturae de his bonis tenetur soluere creditoribus incertis; quia his ipsis solutio fieri non potest. quòd autem loco eorum teneatur pauperibus, id solum iure posituo constitutum est: quod ius locum non habet, quando certi creditores extant. neque mens legislatoris fuit, nec verò potuit esse, eo casu obligare: quia quod debitum est iure naturae, non potest tolli per legem posituam.

Adde, non soluendo mala incerta, nemini in particulari fieri iniuriam; secus verò si non soluantur certa.

Dices, Quando res est in specie aliena, & dominus reperiri nequit, non debetur iure naturae pauperibus, & seposita lege positua potest retineri: ergo etiam ex ea debet satisfieri creditoribus certis.

6 Resp. Negando consequentiam; quia etsi seposita lege positua posset debitor ex ea satisfacere, non tamen tenebatur; eò quòd non teneatur, nisi de rebus suis soluere. Vnde iure posituo statui potuit, vt haec darentur pauperibus, etiam si creditores certi nihil essent habituri. quòd si debitori vt pauperi res illa applicetur, tunc videtur ex illa creditoribus esse soluendum; quia non amplius aliena censetur: nisi fortè paupertas illum excuset.

DVBITATIO II.

*Vtrum inter debitores certos, prius solvendum sit venditori, cui pretium nondum est solutum, re vendita extante.*

7 *Res Ecclesiae & minoris.*  
Respondeo & Dico Primò, Si res sit Ecclesiae, vt fisci, vel minoris, & adhuc extet inter bona debitoris; ante omnia soluendum est pro ea

pretium iustum, vel certe res ipsa est restituenda. *Quo ordine.* Probatur; quia talis rei non est translatum dominium per conventionem mutuam, & secutam traditionem, nisi re ipsa persoluatur pretium, vt docet Angelus v. Emptio n. 4. Siluest. eodem verbo n. 2. & notat Bartolus in L. A diuo Pio. 15. §. Sed si emptor. 7. de re iudicata. & Panor. in cap. Cùm olim, de officio deleg. & colligitur ex L. Si curator. 5. 7. de iure fisci, iuncta Glossa. vnde sequitur, talem rem, vbi cumque extiterit, etiam si aliis vendita fuerit, posse vendicari.

8 *Res aliorum vendita.*  
Dico Secundò; Si res alterius vendita fuerit tali debitori, & ille nec pignus aut fideiussorem dederit, nec pretium in praesenti obtulerit, nec venditor illud pro soluto habuerit, fidens emptori; tunc vel pretium ante omnia soluendum, vel res restituenda venditori. Probatur; quia iure communi in hoc casu nondum censetur translatum dominium, etiam si res tradita fuerit, vt expressè habetur Instit. de rerum diuisione. §. Vendita: vbi dicitur: *Vendita verò res & tradita, non aliter emptori acquiritur, quam si is venditori pretium soluerit, vel alio modo ei satisfecerit, velut ex promissione aut pignore dato: quod quamquam canetur ex L. duodecim tabularum, tamen rectè dicitur & iure gentium, id est, iure naturali id effici.* Idem habetur L. Quod vendidi. 19. 7. de contrahenda emptione. Vnde sequitur, rem talem, vbi cumque extiterit, vendicari posse, nisi pretium solutum fuerit, vt dicitur L. Procuratoris. 5. §. Sed si dedidi. 18. 7. de tributoria actione.

Sed hinc difficultatem parit, quod in eodem §. Instit. supra additur his verbis: *Sed si is, qui vendidit, fidem emptoris securus fuerit, dicendum est, statim rem emptoris fieri.* semper enim videtur fidem emptoris sequi; quando ei credit absque fideiussore vel pignore. Vnde tunc semper transferitur dominium.

9 Resp. Tunc tantum censetur sequi fidem emptoris, quando ipsius nuda promissione est contentus, perinde ac si pretium esset solutum: quod Vlpianus in d. L. Procuratoris ait, *in creditum abire, & Pomponius in d. L. Quod vendidi, fidem habere emptori sine ulla satisfactione.*

Petes, An ergo tunc venditor non habeat ius praedationis? Couarruias l. 1. variar. cap. 7. nu. 3. putat non habere, pro qua sententia adfert multos iuris peritos, qui dicunt hanc esse communem. Idem sentit Petrus Nauar. lib. 4. cap. 4. num. 39. & Molina disput. 536. Probatur Primò, quia illa res non est amplius venditoris, cum translatum sit dominium, vt suppono; neque manet illi obnoxia iure hypothecae. Nam neque iure naturae, neque iure posituo constituta est in tali re hypotheca. Non iure naturae, quia hoc iure nulla inducitur tacita hypotheca. si enim contrahentes pacto expresso non obligant rem solutioni, non est cur illa iure naturae debeat priori domino censeferi obligata; cum eius dominium perfecte in alium transferit, non secus ac si solutio in praesentia esset facta. Non etiam iure posituo; quia nullum ius posituum inducens in tali re hypothecam in iure Caesareo reperitur. Secundò, Si emptor ille alteri venderet, prior venditor non posset eam vendicare: ergo non erat ipsi hypothecata. Tertio, Quia neque expressa hypotheca ex conventionem contrahentium potest in emptione sic constitui, vt venditor habeat ius praedationis.

10 *Non habere venditorem ius praedationis. Rationes adferuntur.*

prælationis præ aliis hypothecis iure positio constituitis. nam contrahentes non possunt suo consensu efficere, vt is, qui iure ciuili vel municipali habet ius prælationis, debeat postponi, vt si emi à te domum vel nauim, & postea ad eius reparationem accipiam ab alio pecuniam mutuam; hic tibi præferetur in solutione; quia iure positio habet ius prælationis, etiam respectu præcedentium hypothecarum, vt infra dicitur. Ex quibus sequi videtur, venditorem esse numerandum inter creditores hypotheca carentes; ac proinde omnibus hypothecam habentibus postponendum. Hæc sententia est valde probabilis. Contraria magis videtur æquitati consona. vnde

11  
Probabile est, venditorem in re vendita esse præferendum.

Dico Tertio, Probabile est, venditorem, si ab emptore fideiussorem vel pignus non accepit, & res adhuc apud emptorem extet, in ea re ceteris esse præferendum; ita vt vel pretium ei soluendum sit, vel res ipsa restituenda. Ita tenet Caietanus v. Restitutio cap. 8. Silu. Restitutio 6. qu. 5. Fumus eodem verbo nu. 36. Medina C. de restitutione q. 2. §. Tertium dictum. Nauarr. cap. 17. nu. 49. Idem tenet Archidiaconus, Baldus, & alij, teste Siluestro. Probatur Primò, quia valde durum est, & ab æquitate naturali alienum, vt res mea, quam à me emisti, non soluto pretio, extans in sua specie, aliis assignetur, & ego re mea simul & pretio frauder. seposito enim omni iure positio, statim iudicio naturali quiuis censeret, æquius esse vt venditori res sua restituatur, si emptor soluendo non sit, quam vt detur alteri. Secundò, Si tibi locaui meam domum, inuecta & illata in eam manent obligata pignori pro pensionibus annuis, & damnis in domum datis, vt habetur L. 2. §. Ex quibus causis pig. vel hypoth. tacita contrahatur. ergo argumento à fortiori etiam res vendita manet obligata pro pretio. Tertio, Quia iure gentium non transfertur dominium rei vendita ante solutum pretium, nisi datum fuerit pignus vel fideiussor: vel nisi venditor secutus fuerit fidem emptoris, vt habetur §. Vendita, supra: idque quia non censetur venditor dominium alia ratione velle transferre, atqui quando venditor credit emptori, etiam si intendat transferre dominium, non tamen intendit se priuare omni iure & recursum ad rem suam, nisi re ipsa solutum fuerit pretium, vt patet ex vsu & communi hominum sensu: ergo saltem quamdiu extat apud emptorem, censetur quasi hypothecata pro pretio.

12  
Resp. ad rationes.

Vnde ad primam rationem in contrarium respondeo, Et si iure naturæ seu gentium non contrahatur vlla hypotheca perfecta qualis iure positio, nempe in quam retineatur ius apud quemcumque extet; bene tamen potest contrahi imperfecta & inchoata, in quam retineatur ius, quamdiu extat apud emptorem. talem videtur habere venditor in re empta, vt dictum est. Si tamen emptor alteri vendat, non manet amplius obligata, sicut nec pretium pro ea acceptum, vt rectè Nauarrus.

Ad secundam, Inde tantum sequitur, non esse hypothecam perfectam, quales sunt omnes hypothecæ speciales iure positio introductæ.

Ad tertiam, Inde solum probatur, aliquam hypothecam huic præferendam; nempe eam, quæ constituta est ratione mutui accepti ad rei instaurationem; secus de aliis. Idem ob eandem ra-

13

tiones videtur dicendum de omni alia re, titulo oneroso alienata, vt supra docet Nauarrus: vt de re mutuata, permutata, &c. quod intellige, si res illa in sua specie adhuc extet in bonis debitoris; maxime si aliis permixta nondum sit. Imò etiam si permixta sit, si certò constet illam ibi contineri. quia æquissimum est, vt ante omnes, illi qui eam tradidit, restituatur vel ipsa, vel pretium eius; nec alij creditores possunt id merito agrè ferre, cum debitor, eius redditione non fiat impotentior ad ipsas soluendum, quam fuisset si eam non accepisset.

### DUBITATIO III.

*Vtrum debita ex delicto, præferenda sint debitis ex iusto contractu.*

Sunt tres sententia. Prima est, Debita ex delicto esse prius restituenda, quam ex contractu (nisi forte in contractu interuenierit hypotheca) & quò delictum fuit maius, eò quoque priorem deberi restitutionem. Ita Ioannes Medina quæst. 2. de restitut. dub. 5. Vnde post hypothecas Primò restituendum debitum ex rapina. Secundò, ex furto. Tertio, ex vsuris. Quarto, ex contractu oneroso; vt ex mutuo, emptione, &c. Quintò, ex contractu gratuito; vt ex legato, promissione non completa, &c. Probatur Primò, auctoritate D. Bonauenturæ. Secundò, Quia illa debita sunt prius soluenda, quæ cum maiori iniuria & peccato sunt contracta; eò quòd quando non potest simul ab omnibus peccatis recedi, consentaneum sit, vt prius à grauioribus, deinde à leuioribus recedatur. atqui maius peccatum, maiorque iniuria, ceteris paribus, est in rapina, quam in furto, & in furto, quam in vsura: ergo prius soluendum pro rapto quam furto, & prius pro furto quam pro vsura, & prius pro vsura quam pro contractu, in quo nulla commissa iniuria. inter contractus autem magis obligat is qui est onerosus, quam qui gratuitus; idque merito; quia per onerosum homo non fit impotentior ad soluendum aliis; nam vna res supponitur loco alterius; ex natura contractus: per gratuum verò secus. Idem sentit D. Thomas opusculo 73. c. 18. *Cum necessaria ad salutem, præcedant ea que sunt deuotionis, iuste soluantur debita ante legata, sed maiori iniuria, restituenda sunt ablata, quam debita soluenda: cum in hoc impleatur iniuria, & tollatur iniuria facta Deo & proximo. In solutione autem debitorum nulla tollitur iniuria, sed solum impletur iniuria.* Idem tenet Michaël Salonijs qu. 62. art. 8. in fine, & videtur tenere Angelus Restitut. 2. num. 18. Hæc sententia non est improbabilis.

Secunda sententia est, Prius soluenda esse debita ex contractu iusto oneroso, non gratuito, quam ex delicto: nisi forte res ex delicto parua, in specie sit aliena. Ita Caietanus v. Restitutio c. 8. Nauarr. cap. 17. num. 52. Bartholom. Medina l. 1. Summa c. 14. §. 3. denique D. Anton. p. 2. tit. 2. c. 7. §. 1. & 2. qui et si assentiat primæ sententiæ in ordine debitorum ex delicto, nempe prius restituendum, quod ex rapina debitum, quam quod ex furto, & prius ex furto, quam ex vsura; ad-

14  
1. Prius qua ex delicto.

15  
2. Prius qua ex contractu.

dit tamen, prius esse restituenda, quæ ex contractu iusto debita: hæc sententia probabilis est, si res ex contractu accepta, extet apud debitorem, iuxta ea quæ diximus dubit. 2. alioquin non video qua ratione probabili queat defendi, nisi fortè in vsuris.

16 Tertia sententia, quam veriore iudico, est, Inter hæc debita nullum esse ordinem; sed ea pari Iure cenferi, esseque debita personalia, sine Iure prælationis: præsertim si res ex contractu accepta, apud debitorem non extat. Ita docet Siluester, Restitutio 6. q. 5. puncto 5. Petrus Navarra l. 4. c. 6. seu vltimo, na. 41. & alij recentiores. Probatur Primò, Quia neque Iure positio aliquid hæc de re cautum est, neque villa ratio sufficiens adferri potest, qua probeatur, Ius naturæ postulare, vt alterum debitum alteri præponatur. ergo sunt paria. Secundò, Quia etsi maior fiat iniuria per rapinam quam per furtum, & per furtum fortè quam per vsuram: tamen postea, dum quis non vult restituere, est eadem iniustitia in ipsa rei detentione. eiusdem enim speciei peccatum est, non soluere debitum ex contractu post elapsum terminum, inuito creditore; & non soluere debitum ex rapina aut furto: quia æquè sit inuito domino. quamuis enim in rapina sit maior iniuria, eò quòd sit maior contemptus domini, & iple magis inuoluntariè patiatur; tamen postea non est maior obligatio restituendi; nam pro excessu iniuriæ, qui est in primo aggressu, non est facienda restitutio pecuniæ, de qua hic agimus, sed alia satisfactio.

17 Dices Primò, Quamdiu raptor non restituit, non recedit ab iniuria, quam intulit personæ, vi rapiendo; atqui ab hac maxime tenetur recedere: ergo ante reliquos, &c.

Resp. Primò, Negando maiorem; nam hoc ipso, quo desinit vim inferre, iniuria personalis non continuatur, sicut detentio rei; sed transit. vnde etiam si non restituat rapinam, tamen non censetur continuare actualem rapinam, sed solum rei alienæ detentionem.

Respondeo Secundò, Negando subsumptum. non enim magis tenetur ad sarcendam iniuriam illatam personæ, quam ad faciendam restitutionem rei detentæ: præsertim cum in rei detentione etiam iniuria domino fiat, & præter iniuriam, damnum. Itaque cum is, qui debet ex contractu, æquè obligetur elapso termino, atque is qui ex vsura, furto vel rapina: non est cur naturali Iure vllum ordinem inter ista debita constitutum putemus. Quod etiam ex eo confirmatur: quia alioquin contra Ius naturæ faceret Iudex, qui iuberet pro rata talibus creditoribus restitui; & teneretur ipse de suo supplere. quod nemo dixerit.

18 Dices Secundò, Detentio vsurarum non tantum repugnat voluntati domini, quantum detentio rei furtiue, vel rapte, vel ex contractu oneroso debite: ergo in vsuris non est tanta obligatio restituendi, quanta in ceteris. Antecedens patet ex communi hominum sensu; nemo enim de illis magnopere queritur, neque conatur recuperare. vnde etiam non est tam detestabilis vsurarius, quam fur vel raptor, vel debitor ex contractu, qui post elapsum terminum non vult soluere, cum possit. Ob hoc argumentum, non videtur improbabile, debita ex contractu oneroso, ex furto

19  
Debita ex  
vsura.

& rapina, posse præponi debitis ex vsura. Quia tamen contrarium patet verius,

20 Respon. Omnia hæc contra voluntatem dominorum retineri; ita vt si possent, curarent sibi restitui; quod sufficit, vt æquè iniuste, seu contra eandem iustitiæ speciem retineatur. Et quamuis detentio vsurarum non tantum repugnet actuali voluntati domini, quantum debitum ex contractu vel furto, id non refert: quia hoc non prouenit ex eo, quòd intendat vsurario eas donare, vel aliquid iuris concedere: sed ex eo, quòd spem non habeat recuperandi; sitque malum necessarium sponte subeundum. Sicut qui sponte dat lytrum latroni, non renititur actuali voluntate (nisi ineffaciter) illi detentioni; & tamen non minus iniuste ille detinet, quam fur vel raptor. Itaque hæc actualis repugnancia, non facit vt detentio rei sit magis contra iustitiam, quam aliàs esset; sed facere potest, vt magis sit contra charitatem: vt si quis vehementer se inde cruciaret.

#### DVBITATIO IV.

*Quis ordo sit seruandus in solutione certorum debitorum.*

Respondeo, Primò restituenda ea, quorum 21  
dominium non fuit translatum in debito-  
rem. Ordo resti-  
tutionis.

Secundò, Soluendum pro moderatis expensis funeris debitoris, L. penultima. 7. de Religiosis, & sumptibus funeris. Huc etiam pertinent ea, quæ necessaria sunt ad conscribendum testamētum, ad faciendum inuentarium, ad custodiam suppellectilis, & similia opportuna, vt fiat restitutio. Vnde si quis fecerit has expensas pro debitore, aut pro funere alterius, quem debitor sepelire debuisset; (vt pro funere vxoris, filij, vel mancipij) ei Iure naturali primò restitutio facienda est.

Tertiò, Soluendū iis, qui habent hypothecam, 22  
(quantum ea se extendit) ante alios, qui non habent, vt habetur L. Eos. 9. C. qui potiores in pignore. Ratio est; quia hypotheca datur creditori ad securitatem, vt in omni euentu possit ex ea curare sibi satisfieri.

Quartò, Inter hypothecarios creditores, primò soluendum iis, qui tempore sunt priores; hæc enim regula Iuris, *Qui prior est tempore, potior est* 23  
*Iure*, intelligenda est de iis, qui in eadem re habent hypothecam, vt docet Siluester v. Restitutio 6. 23  
quæstione 5. & colligitur L. 2. 4. 5. 6. 7. 8. C. Qui potior in pign. hab. (vtrum etiam vera sit in creditoribus personalibus, dicitur dubit. 6.) estque generaliter vera, siue hypotheca sit tacita, siue expressa, siue generalis, siue specialis, siue sit conuentionalis, siue iudicialis, siue Prætoria. Exceptis quibusdam casibus, in quibus posterior præfertur priori, vt statim dicemus. Neque solum expressa prior, præfertur expressæ posteriori; sed etiam tacita prior, præfertur expressæ posteriori, vt patet in hypotheca dotali, quæ etsi tacita sit, præfertur tamen expressæ posteriori. vt docet C. de iur. l. 1. var. cap. 7. num. 2. & colligitur ex L. Hac edictali. 6. His illud adiungimus. C. de secundis nuptiis. Similiter generalis prior præfertur etiam speciali posteriori: vt colligitur ex L. 2. 7. Qui potio-

potiores in pignore vel hypotheca habeantur.

24 *Nauarrus.* Vnde patet Primò, Falli Nauarrum cap. 17. numero 50. & 51. & Siluestrum Restitutio 6. quæstione 5. dum dicunt, eos, qui expressas habent hypothecas, præferri iis qui habent tacitas. hoc enim verum non est, nisi illa expressa sit tempore prior; exceptis quibusdam casibus Iure declaratis.

25 *Siluester.* Patet Secundo, Falli Siluestrum, quando vult, eum, qui habet specialem hypothecam posteriorem, præferri habenti generalem priorem omnium bonorum, & præterea specialem in aliqua re, quæ distincta sit ab hypotheca speciali alterius. Nec obstat L. 2. C. de pignoribus & hypothecis, quam ipse pro se adducit; nihil enim aliud ibi dicitur, quàm tuum pignus posterius debere tibi saluum esse, si priori creditori, habenti generalem hypothecam, & etiam specialem in alia re, quæ à tuo pignore distincta sit, possit integrè satisfieri ex illa speciali. tunc enim non potest impedire tuam specialem, ratione suæ generalis prioris: qui enim præter generalem hypothecam etiam capit specialem, id facit, quòd primò velit vindicare specialem, & non attingere generalem, nisi in euentu quo specialis non sufficiat. Vnde sequitur, tuum pignus non fore tibi saluum, si alteri ex speciali illa hypotheca non possit integrè solui. & consequenter generalis prior præferretur speciali posteriori. vide Couar. lib. 3. variarum cap. 18.

26 *Posterior tempore aliquando præferatur priori.* Aduerte tamen, Esse aliquos casus, in quibus posterior tempore præferatur priori, habenti hypothecam expressam vel tacitam.

Primus habetur L. 5. §. 7. Qui potiores in pign. Si tibi credidi, seu mutuauit pecuniã, ad refectionem vel conseruationem alicuius rei, alteri antè obligata; vt ad reficiendam vel armandam nauem: tunc enim præferri debeo aliis habentibus in eadem re hypothecam generalem vel specialem etiam expressam: cuius ratio est, quia sine tali mutuo pignus illud vel non extitisset, vel certè periisset, ac proinde prior creditor parum vel nihil ex eo habuisset commodi. vnde non potest agrè ferre, quòd is, cuius pecuniã saluum est, prior ex eo solutionem illius pecuniæ accipiat.

2. *Mutuus pro re custodienda.* Secundus habetur L. 6. supra. Si tibi mutuauit, v.g. 100. vt satisfaceres pro mercium vectura, vel pro conductione ædium in quibus asseruarentur; manent mihi merces istæ obligatæ, ita vt primus solutionem ex illis habere debeam ante alios, generalem vel specialem, tacitam vel expressam hypothecam habentes.

3. *In hypotheca dotali.* Tertius est, In hypotheca dotali, per quam bona mariti sunt obligata vxori, eiusque descendenti- bus, ita vt ipsa & ipsius filij ex illis suam dotem ante alios creditores, habentes tacitas hypothecas priores, possint deducere; vt patet L. Alfiduis. 12. C. Qui potiores in pignore.

27 Notandum tamen est Primò, Dotem non præferri hypothecæ expressæ priori. Ratio est, quia lex non intendit doti dare priuilegium cum iniuria priorum creditorum, qui ex speciali conuentione iam ius habebant in bonis debitoris. valde enim durum esset, per nuptias viri superuenientes, omnes priores amittere ius, quod expressè pacti erant. Secus est de iis, qui habebant tacitam priorem, lege introductam; his enim dos præferretur, nisi etiam priuilegium prælationis habeant, vt in

casu primo & secundo,) quia lex potuit suum beneficium, quod concedit prioribus, ita restringere, vt postponatur priuilegio mulieris in causa dotis, vt docet Siluester v. Dos, num. 14.

Hinc patet, non sequi, Expressa hypotheca prior præferatur doti posteriori, & hæc dos præferatur mutuo posteriori pro refectione; ergo expressa hypotheca prior, præferatur illi mutuo posteriori. vide Couarr. lib. 1. variar. cap. 7. vbi ostendit, in iis, quæ Iure humano constant, non esse necessarium, vt si a vincat b, & b vincat c, a vincat c. Idem Siluester supra.

29 Notandum Secundo, Dotem non præferri priuilegio, quod habet is qui mutuauit pecuniam iuxta primum & secundum casum, nisi tempore dos sit prior; vt rectè docet Siluester supra. Neque contrarium colligitur ex Nouella 97. cap. 3. (vt quidam putant) quia ibi solùm dicitur, *Eum, qui mutuauit ad adificationem vel refectionem domus vel nauis, non præferri doti priori, sicut præferatur aliis non priuilegiatis.* Hinc tamen non sequitur, dotem posteriori illi præferri, aut illum doti posteriori non præferri.

30 *4. Emptum pecunia pupilli.* Quartus casus est, Quando ex pecunia pupilli empta est res aliqua, illa res manet pupillo obligata ante omnes; ita vt si ea alteri sit hypothecata, ipse sit præferendus, vt possit recuperare pretium. Idem colligitur ex L. penultim. C. de seruo pign. dato.

5. *Mutuus ad aliquam emendam, &c.* Quintus est, Si tibi dem mutuam pecuniam ad emendam domum, vel prædium, vel rem aliam, cum pacto expresso, vt ea res mihi maneat hypothecata pro debito; præferatur aliis creditoribus, habentibus hypothecam generalem in omnibus tuis bonis, quamuis talis hypotheca comprehendat etiam bona futura, & consequenter hanc ipsam domum. Ita habetur L. Licet. 7. C. Qui potiores in pign. vide Couar. sup. num. 3.

6. *Contrahens cum fisco.* Sextus est, Quando quis contraxit cum fisco, manent ipsius bona fisco obligata cum priuilegio prælationis. Idem ius habet fiscus ratione tributis nondum soluti. Vnde omnia bona Receptorum & Redemptorum vectigalium, sunt fisco hypothecata, L. 2. C. de priuil. fisci. dos autem & fiscus pari Iure censentur. L. Dotis tuæ. 9. C. de Iure dotium. vide Couar. supra.

7. *Credens ad militiam.* Septimus est, Quando quis alicui credit pecuniam ad militiam, v.g. vt emat equum, arma, vel vt se in militia sustentet; habet hypothecam Iure prælationis, etiam ante dotem, et si dote sit posterior, vt patet ex Nouella Iustiniã 97. cap. 4. Vnde huic ex bonis mariti integrè soluendum, quamuis vxoris dos esset peritura. In his casibus non est seruanda illa regula, *Qui prior est tempore, potior est Iure*: nam habent priuilegium, vt præferantur, etiam si tempore sint posteriores; non quidem semper omnibus, sed quibusdam. In ceteris autem hypothecis, tale priuilegium non habentibus, & in his quæ æquale priuilegium habent, est seruanda, ita vt integrè satisfieri debeat ei qui priorem hypothecam habuerit. Verum accurata horum tractatio est Iuris peritorum. vide doctissimum tractatum de pignore Antonij Negusantij.

32 *33* Quintò, Post eos qui habent hypothecam, si quid superfit, soluendum creditoribus personalibus, id est, qui non habent vllam rem debitoris, sibi immediatè in genere vel in specie obligatam, vt in

34 *Creditoribus personales.* sed

*Habentes privilegium personale.*

sed solum personam. Inter hos Primo loco soluendum iis, qui habent personale privilegium praelationis, absque hypotheca; quale habet sponsa de futuro, in bonis sponso, ratione dotis traditae, non secuto matrimonio, ut docet Glossa in L. Eos. 9. C. Qui potior in pign. & Qui deposuit pecunias apud nummularium, non percipiens inde usuras, ut patet L. Si hominem. 7. §. 2. de depositi, vel contra. quod quidam DD. extendunt ad omnia deposita, & ad commodatum & ad pignus, si dolo vel culpa debitoris perierint. Item ad pecuniam depositam in societate mercatorum ad negotiationem. Si tamen haec extaret, etsi mixta esset, ante hypothecas restituenda esset, quia in specie est aliena: nam quando talia voluntate dominorum commiscuntur, singule partes sunt communes; ut habetur §. Si duorum. Infit. de rerum diuisione, & L. Marcellus. 3. §. Pomponius, 7. de rei vindicta Secundo loco soluendum ceteris creditoribus chirographariis ex titulo oneroso, cuique pro rata; non habita ratione temporis prioris vel posterioris, quo debitum est contractum. Ita Siluester supra & Nauarr. cap. 17. numero 51. Tertio loco soluendum creditoribus ex titulo gratuito; ut si defunctus alicui pro causa aliquid vouerat. Quarto, reliqua erunt pro heredibus & legatariis; ita tamen ut heredes praecedant legatarios ad suam legitimam obtinendam, si sunt heredes necessarii: vel ad quartam bonorum (quae dicitur Falcidia) si non necessarii.

*Depositorum, commodatarum, pignorum.*

*35 Chirographarij.*

*36 Obligant in conscientia.*

*37 Lex humana.*

DUBITATIO V.

*Vtrum prius petenti liceat prius soluere.*

*38 Soluens posteriori.*

Dico Primo, Si debitor vel eius heres soluat posteriori, omisso eo qui habet hypothecam priorem, vel privilegiata, sciens id fieri cum damno prioris, tenetur priori de damno; & potest prior recuperare a posteriore quod solutum est. Patet L. Scimus 2. 2. §. Etsi praefatam. C. de iure delib. randi.

*39 Prior petent.*

Dico Secundo, Si sint plures creditores personales, inter quos nullum sit privilegium praelationis, & aliquis ex illis exigat ante alios solutionem debiti, siue in iudicio, siue extra; potest & tenetur debitor ei integrè soluere, etiam si tempore esset posterior. Ita docet Nauarrus cap. 17. num. 52. & Silu. Restitutio. 6. quaest. 8. & colligitur ex L. Pupillus. 24. 7. Quae in fraudem creditorum. Ratio est, quia diligentia posterioris creditoris fecit eum

potiorem, sicut hypotheca vel privilegium, ut dicitur in praedicta lege. vnde sequitur, creditorem posse petere integrum debitum, quando timet debitorem non fore omnibus soluendo; & retinere, ubi acceperit.

Petes, Vtrum non petenti possit debitor, sciens statum suum labantem, integrè satisfacere, ut ei gratificetur.

Respondeo, Non posse, quia ius hoc non concedit. Cum enim iste par sit aliis iure, neque diligentia in petendo faciat eum potiorem; non potest ei fieri integra restitutio cum damno aliorum: sed pro rata, ut rectè docet Nauarr. supra. Addo tamen, eum, qui in hoc euentu solutionem accepit, non teneri in conscientia restituere; quia non accepit rem alteri obligatam. Et colligitur ex L. Quod autem. 6. §. 6. & 7. 7. Quae in fraudem creditorum. Idem dicendum, etiam si alij creditores habeant privilegium personale praelationis absque hypotheca, ut colligitur ex L. dicta, ubi dicitur: *Qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur*, (id est, auctoritate iudicis occupentur ab aliis creditoribus) *quamuis sciens prudensque soluendo non esse recipiar, non timet hoc edictum*; nempe quo renocantur ea quae in fraudem creditorum alienata sunt. Idem docet Molina disp. 5. 3. 6. etiam si Siluester & alij contrarium sentire videantur.

Nec refert, quod ad hoc induxerit debitorem, quia iura id concedunt, teste Molina. Nec obstat L. Pupillus. 24. 7. eodem tit. quia est alius casus, in quo tutores sponte gratificati sunt vni ex creditoribus. vnde dicitur ibidem, *tale debitum renocandum: quod intelligit per iudicem*. quare nisi sic renocetur, poterit ille creditor retinere.

DUBITATIO VI.

*Vtrum regula illa Iuris, Qui prior est tempore, potior est iure, possit extendi ad creditores personales.*

MULTI Doctores affirmant, illam locum habere in omnibus creditoribus eiusdem ordinis, id est, quorum alter non habet aliunde privilegium praelationis contra alterum. Ita Gabriel d. 15. quaest. 2. dub. ultimo. Medina C. de restitut. q. 2. dub. 5. Salon. quaest. 62. art. 8. in fine. Valentia disp. 5. q. 6. puncto 10. Toletus lib. 5. cap. 25. Emanuel Sa v. Restit. nu. 63. Idem videtur sentire Nauarr. cap. 17. num. 53. in fine. Probatur Primo, Quia quod diutius creditor caruit suo, eò strictius ei debetur, & eò citius est ei restituendum. Secundo, Quia maiori incommodo prius est occurrendum: atqui is qui diutius caruit suo, plus accepit incommodi; ergo. Haec sententia, ob auctoritatem horum DD. non est improbabilis, & est satis rationi consentanea: nam quando prius debitum contrahitur, debitor est magis soluendo, quam postea quando noua debita accedunt. vnde par esse videtur, ut primus creditor non fraudetur propter debita posteriora. non enim debent ipsi esse fraudi posteriora debita ex contractu vel delicto, cum eo tempore, quo cum illo contraxit, illa non haberit. Accedit, quod illa regula, *Qui prior est tempore, potior est iure*, non solum intelligenda sit in habentibus eandem rem sibi hypothecaram, sed etiam

*40 Offerens non existenti.*

*41 Potest solutum retineri.*

*42*

*Est probabilis.*

*43*

Q 2

etiam in ordine confessus Canonicorum in Capitulo; In ordine subscribendi instrumentis actuum capitularium; In habentibus gratias expectariuas in eadem Ecclesia; vt notat Glossa in illam regulam. Imò eadem Glossa dicit eam seruandam inter plures creditores, quando venduntur res debitoris, vt illis satisfiat. quare non obscure est in hac sententia.

44 *Contrarium verius.* Contrarium tamen puto verius, nempe non esse seruandam inter creditores chirographarios seu personales carentes hypothea vel alio iure praelationis; sed tantum inter creditores habentes eandem rem sibi hypotheatam. Ita expresse docet Siluester, Restit. 6. quaest. 5. & D. Anton. p. 2. tit. 2. c. 7. §. 3. ex Baldo; & alij passim. colligitur ex L. 1. 7. de separationibus. vbi dicitur: *Licet alicui, adiciendo sibi creditorem, creditoris sui deteriore facere conditionem, &c.* & ex multis legibus C. Qui prioris in pign. vbi tantum hypotheccis applicatur haec regula.

### DVBITATIO VII.

*Vtrum inter chirographarios carentes privilegio praelationis, possit satisfieri pauperi, omissis ditioribus.*

45 *Soluens pauperiori.* **M**ULTI DD. affirmant id fieri posse. Medina supra: *Si debitor posterior, est longe pauperior priore, tunc debitum posterioris videtur preferendum, quia maiori damno prius occurrendum.* Idem tenet Salon. ob eandem causam. Idem expresse docet diuus Thomas opus. 73. cap. 18. & probat, quia plus laesus est pauper ablatione suorum, & plus indiget. Emanuel supra, ait, *excusari eum, qui soluit prius petenti vel valde indigenti.* Siluest. Restit. 6. in fine, dicit talem excusari iure poli, non tamen fori.

46 *Verius non licere.* Sed contrarium videtur verius. Probat: quia pauper neque iure positio habet ius praelationis, vt patet: neque iure naturali, nisi forte sit in extrema vel graui necessitate, ita vt charitas obliget illi subuenire. tunc enim creditor diues merito pari debet debitum suum differri vel numquam solui, vt alteri, par ius habenti, in tanta afflictione consulari. Quod si pauper non tanta prematur inopia, non potest alter penitus priuari, vt illi integre satisfiat. Nec refert, quod pauper plus incommodi sentiat ex dilatione vel priuatione partis rei debitae; hinc enim non sequitur, illum habere ius praelationis, sed vt summum, ceteris paribus, amplius posse ei solui, quam diuiti, qui tale incommodum non sentit. sicut plus restituendum ei, cui debentur 100. quam cui 50. quando secundum proportionem sit solutio.

47 *Contrarium non est omnino improbabile.* Nihilominus fateor sententiam alteram non esse omnino improbabilem, praesertim cum diuus Thomas tam expresse illam teneat.

### DVBITATIO VIII.

*Quo loco & cuius expensis facienda est restitutio.*

**N**Otandum est, Obligationem restitutionis nasci vel ex iniusta acceptione, vel ex re ac-

cepta, vel ex contractu, vt explicatum est supra cap. 7. dub. 5. Nunc

Dico Primò, Si debitum ortum sit ex iniusta acceptione, restitutio facienda est expensis debitoris, idque eo loco, vbi dominus illam possessurus erat, si ablata non fuisset: ita Caietanus 2. 2. q. 62. art. 5. circa solutionem tertij argumenti, Sotus l. 4. de Iust. quaest. 7. art. 1. circa solutionem tertij argumenti. Couar. ad reg. Peccatum, r. p. nu. 9. Ioannes Medina C. de restit. q. 2. dub. 3. Probat, quia ex eo quod dominus rem suam amiserit debitoris iniquitate, non debet vllum damnum sentire; sed lege iustitia debet ita fieri restitutio, vt in pristinum statum restituatur, perinde ac si res ablata non fuisset: ergo restitutio non debet fieri ipsius expensis, sed debitoris, qui sibi imputet, quod eas subire cogatur.

Dices Primò, Ergo tenetur ad amplius, quam ad rei ablatam seu damni illati compensationem.

49 Respondeo, Verum est, teneri ad amplius, quam damnum secundum se consideratum aestimetur, non quidem vt dominus inde amplius accipiat commodi, quam accepit detrimenti: sed quia id est necessarium tamquam medium, vt fiat restitutio, qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium necessarium.

Dices Secundò, Non debet imputari debitori, quod creditor in alium locum migravit: ergo tunc illius sumptibus non erit mittenda.

Respondeo, Negando consequentiam, quia creditor non debet amittere libertatem transferendi se quò libuerit, ob iniustitiam debitoris; qui sibi imputet, quod sumptus illos in restitutione facere cogatur. debebat enim rem relinquere in bonis creditoris; sic enim cum aliis paruo vel nullo sumptu translata fuisset. si tamen creditor facturus erat sumptus in re illa asportanda, possunt deduci, non enim teneris illi cum lucro restituere, sed satis est vt ex ablatione nihil damni sentiat, de quo vide Couar. supra.

50 *Si magni sumptus.* Notandum tamen est, Si res non potest sine magnis sumptibus restitui, posse ex quadam aequitate naturali differri restitutionem, modò inde dominus vel nihil vel parum damni capiat. Si tamen ea est rerum constitutio, vt nisi modò restitutas, postea nec ipsi nec hereditas restituere possis, omnino nunc restituenda vel res ipsa, vel iustum rei pretium, quamuis magnae expensae essent faciendae; quia dominus non ideo potest re sua in perpetuum priuari, quod debitor tantumdem in sumptum impendere cogatur. nisi probabile esset, domino in hoc casu non displiciturum, vt amicis eius vel pauperibus detur: quod per litteras ab eo peti debet, si res est ambigua. si verò spes sit, fore vt aliquando restituatur sine tanto sumptu, poterit restitutio differri. si res sit parui momenti, & sine duplo vel triplo sumptu restitui nequit, probabile est, pauperibus dari posse; praesumi enim potest id domino non displicere.

51 *Si non ex delicto.* Dico Secundò, quae debentur solum ratione rei acceptae, restituenda sunt in loco vbi habentur; nec teneris ea mittere domino expensis tuis, sed mittes expensis domini: vt, si bona fide emeris rem à fure. Ratio est; quia cum tuo damno non teneris dominum in pristinum statum restituere, cum eum per iniuriam non deturbaueris, sed solum teneris ad rei custodiam; monito interim domino vt significet, quo modo velit eam sibi



sibi transmitti. quia in re non teneris illos sumptus ferre. imò si contingat te in alium locum migrare, nec possis eam commodè apud aliquem, qui restituat, deponere, sed cogaris auertere, potes expensas à domino repetere: qui tenetur ad omnes expensas rei suę custodienda necessarias, in utilitatem ipsius factas; vt habetur expressè L. 2. π. de negotiis gestis.

52 *Si ex contractu.* Quod atinet ad ea quę ex contractu debentur, hæc sunt triplicia. Vel enim debet restitui idem numero, vt depositum, commodatum, pignus; vel debet restitui quid distinctum, quod pro alio commutatur, vt in mutuo, venditione, locatione, &c. vel debet restitui id pro quo nihil accipitur, ita vt solum ex altera parte sit obligatio; vt in promissione, donatione, testamento, legato. His positis,

53 *Si res eadem numero reddenda.* Dico Tertio, Quę debentur ex contractu, in quo res eadem numero est restituenda, si in alterius tantum partis utilitatem accepta sint, debent eius expensis restitui: idque eo loco, vbi sunt tradita; nisi aliter iusta aliqua pactione conuentum sit. Prior pars patet; quia par non est, vt eius expensis restituatur, cuius commodum in contractu non queritur: ergo. Altera probatur; quia in huiusmodi contractibus tacite censentur pacisci de eodem loco; nisi ob aliquam causam extrinsecam aliter expressè inter illos sit conuentum. æqualitas enim postulat, vt sicut idem restituendum quod acceptum est, ita etiam eodẽ loco. Hinc fit, vt si tua caula equum

54 *Commodatum.* commodatum acceperis, tenearis eum tuis expensis restituere in eum locum, in quo tibi traditus est. Non tamen teneris eum in locum remotum mittere, in quem fortè dominus commigravit; quia ibi commodatum non accepisti, nec illius longinquitatis es causa, sed dominus sibi imputer, quod commodatum ante discessum non repetierit.

*Depositum.* E contrario, si depositum gratis custodiendum accepisti, restituendum est expensis deponentis; quia par non est, vt depositarius, cum nihil commodi ex deposito perceperit, suis expensis illud ad dominum remittere cogatur, siue dominus in eodem loco manserit, siue aliò commigraverit. Secus est, si depositarius in alium locum remotiorem commigraret: quia tenetur rem depositam representare in eo loco, vbi eam custodiendam accepit, vt inde expensis domini restituatur. Idem dicendum de commodato, quod gratia solius commodantis acceptum est.

Sed quid, si depositum furti piatur & transferatur in alium locum; cuius expensis remittendum erit ad depositarium?

55 *Si depositum translatum fuerit.* Respon. Si sine culpa lata depositarij translatum est, debet queri & referri expensis domini deponentis, non autem depositarij; quia vitium & incommodum quod obuenerit deposito sine culpa lata depositarij, non est ei præstandum, sed auctori: si verò ex culpa depositarij lata factum sit, tenetur suis expensis; imò si pretio illam custodiat, tenebitur etiam ex culpa leui, iuxta ea quę diximus c. 7. dubit. 6.

Dico Quarto, Quę debentur ex contractu, in quo pro re accepta est reddenda alia, restitutio ex natura contractus non quouis loco fieri potest, sed ibi facienda est, vbi res, pro qua datur, est accepta, secundum quem locum etiam res quę datur est æstimanda. Prior pars, non quouis loco fieri posse restitutionem, probatur, quia hoc sæpè alteri parti esset magno damno; vt si emens Antuerpię, vellet soluere in Hispania, vel contra. ergo debet esse certus aliquis locus, in quo ex natura contractus fiat solutio. is autem est, vbi res vendita, mutata vel permutata, fuit tradita & accepta. nullus enim magis iustitię congruit, eò quod in omnibus istis contractibus vna res in locum alterius quasi substituitur; quod perfecto modo fieri nequit, nisi idẽ locus seruetur. Hinc fit vt nemo ex vi mutui possit

57 *Mutuum.* obligari vt alibi reddat: aut ex contractu venditionis vel locationis, vt alibi pretium soluat. Nam hi contractus vt iusti sint, reducendi sunt ad æqualitatem respectu certi loci, in quo res prior traditur. Idem dicendum de emptione centuum. hi enim ex natura contractus non sunt soluendi in loco vbi est ereditor, sed vbi ipse census est constitutus, seu vbi est res illa, in qua obligatio est constituta, v. g. domus, ager, pratium, &c. nam pensio annua est veluti fructus hypothecę, qui non est alibi, ex natura contractus, tradendus, quàm vbi nascitur.

58 *Personalis.* Quòd si census sit omnino personalis, nullam habens hypothecam, soluendus est vbi iusta pactione constitutus fuerit. Si in pactum non est deductum, soluendus est in loco, vbi debitor cõmoratur; qui immediatè in ipso debitore constitutus est. quod intelligi, si debitor non abeat valde procul. si enim tam procul discedat, vt emptori inde graue incommodum oriatur in pensione exigenda, ita vt si de eo cogitasset, noluisset censum emere; tenebitur debitor mittere ad locum priorẽ. His tamen non obstat, quin contrahentes possint de alio loco solutionis pacisci; modò hoc onus iusta mercede cõpensetur.

Dico Quinto, Quę debentur ratione donationis, legationis, testamenti, reddenda sunt in loco, vbi erant cum donarentur, nisi aliud in ipsa dispositione expressum fuerit: ac proinde expensis eius, cui donata sunt. Patet, quia qui rem gratis dat, vel legat, non intendit se ad ampliùs obligare; sed permittit eam alteri, vt, si velit, suo sumptu illam auferat; si nolit, relinquat. si tamen heres aliò transferret, teneretur suo sumptu illam mittere, vbi erat prius.

60 *Nota.* Circa prædicta Nota, Quando res est restituenda expensis creditoris, eas ex ipsa re deduci posse, quando alia commodior via non suppetit; vnde si opus fuerit, poterit ea vendi vel ex parte, vt residuum ad creditorem mittatur; vel tota, si est indiuisibilis, (vt equus) vt ei pretium mittatur. Quòd si tantæ essent in remittenda re vel pretio expensę, quanti valet, non est restituenda, sed moneendus dominus: vel si id fieri nequit, danda panperibus, si putetur dominus nunquam ad viciniora loca venturus.